

nem extra vasa effluere necessum est in
 spatium (*fig. 4. B. B.*) quod licet sensu
 percipi non possit, reperiri tamen & ratio
 persuadet, & perspicillum manifestè con-
 firmat. Desinunt ad idem spatium, tam
 capillares venæ emulgentes (*fig. 8. D. D.*)
 quàm Renales ductus, (*fig. 9. B.*) quos di-
 ximus: ambo enim hæc vasa ad extimam
 superficiem terminari, demonstratum est.
 Cum ergo sanguis extra arterias prodierit,
 duplicem vasorum ordinem offendit, ve-
 nalem scilicet unum, Renalem alterum.
 Serum itaque Renales ductus ingreditur
 à sanguine separatum, sanguisque venas
 subit à serolo humore sejunctus. Hæc
 verò secretio non per attractionem, non
 per familiaritatem, non per sympathiam
 contingit, sed unâ & solâ vasorum confi-
 guratione hoc expetente, perficitur. Quæ
 omnia adeò evidenter confirmari pos-
 sunt, ut nullus deinde futurus sit dubita-
 tioni locus. Quod igitur serum & san-
 guis sua, sine ipsorum attractione, vasa
 percurrant, quis inficiabitur? habemus
 enim experimenta, quibus id fieri posse
 demonstratur. Si namque, ut unum ad-
 du-

du-